

Anunciare contempserit, uel plus debito distulerit, exnunc prout extunc, & extunc prout exnunc pro abiecto à papatu omnibus Christifidelibus habeatur, & omnis obedientia eidem sit subtracta.

Item statuit, diffinit & decernit dicta sancta synodus, quod recessus dicti domini nostri papae à ciuitate Constantiensi, clamdestine factus, fuit illicitus bonoque uniois ecclesiae dei prauiudicialis & nociuus. Quodque dictus dominus noster papa requisitus est ex parte dicti sacri concilij, quod ad illud reuertatur, facturus & adimpletus, quod promissit, uouit & iurauit pro unione danda ecclesiae dei; & cum intimatiōe, quod si infra terminum sibi ex parte dicti sacri concilij praefigendum, ad ipsum concilium redire contempserit, aut plus debito distulerit, contra eum tanquam fauorem schismatis & suspectum de haeresi procedetur, ut requiritur sacrae & canonicae sanctiones.

Item statuit, diffinit, decernit & declarat dicta sancta synodus, quod si dictus dominus noster papa ad ipsum sacrum generale concilium redire uoluerit, & quae promissit, uouit & iurauit, efficaciter iuxta deliberationem dicti sacri concilij pro dicta unione adimplere, eidem prouideatur de bona securitate, quod nec ante renunciatiōem nec post, capietur aut incarcerabitur, nec alius in persona uel bonis molestabitur. Quinimmo in plena securitate & libertate tenebitur & tuebatur per dominum regem Romanorum serenissimum, & etiam per dictum generale concilium. Et ulterius de bono statu eidem domino nostro & suis familiaribus post dictam renunciatiōem habendo, ad arbitrium quatuor per eum, & aliorum quatuor per dictum sacrum concilium eligendorum prouideatur. Quibus peractis, supradictus reuerendus pater dominus Andreas electus Poznanien. in materia fidei & super materia Ioannis Hufz legebat quadam auisamenta, quae sequuntur & sunt tales.

Primo, quod iuxta determinationem doctorum sacrae theologiae & iuris canonici, confirmatur & approbatur sententia lata in concilio Romano de damnatione & doctrina Ioannis Vuicles etiam per combustionem librorum eiusdem.

Item quod in eadem sessione committatur materia fidei per hoc sacrum concilium esse plena autoritate, quo ad doctrinam ipsius Ioannis Vuicles, necnon Ioannis Hufz & suorum sequacium, reuerendis patribus dominis Cameracensi, & sancti Marci cardinalibus, necnon dominis episcopo Doleensi, & abbati Cisterciensi, qui etiam assumptis doctoribus theologiae & iuris canonici, uideant super materia Ioannis Hufz hic propter errorem ipsius Ioannis Vuicles, quibus etiam assignetur regimen processus causae per commissarios contra eundem Ioannem Hufz facti.

Item quod eidem domini commissarij uideant de modo procedendi super condemnatione articulorum xlv. in specie, in Parisiensi, & Pragensi, uniuersitatibus condemnationum super materia Ioannis Vuicles.

Item quod scribant litterae missiuae regibus, principibus, ducibus, comitibus, uniuersitatibus studiorum per mundum ex parte huius sacri concilij de recessu papae & alijs circa praemissa occurrentibus, & quod quatuor praelati ex quatuor nationibus deputadi autoritate eiusdem concilij, dictas missiuas suis sigillis una cum sigillo serenissimi principis regis Romanorum sigillent & corroborent. Super quibus concilium respondebat, placet.

Item & subsequenter idem dominus Andreas electus per simile auisamentum ueritale proposuit, & per modum consultationis, quod necessarium esset quod concilium supplicaret domino regi praesenti, super reductione domini Ioannis papae uigessimiterij ad ciuitatem Constantiensem, praesentem requirendo eum, quod adimpleret promissa facta ecclesiae & concilio Constantiensi cum honore ipsius papae & in libertate eius. Responsumque fuit, placet, per concilium.

Ad hoc enim intendendo surrexit rex Romanorum, proferendo & dicendo quod dictus dominus Ioannes papa est in oppido Louffenburg Basileensi, diocesis, & in manibus Frederici ducis